



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

4 An veritas cognitionis seu intellectus in eo non sit, donec iudicet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

ceptum albi veram aliquam conformitatem habere cum homine. Et hoc sensu dixit D. Thomas, dicto articulo 2. Intellectum cognoscere conformitatem sui ad rem intelligibilem; quando iudicat, rem ita se habere, sicut est forma, quam de re apprehendit, quod facit componendo, & diuidendo. Non quod, quando intellectus componit, iudicet ita se habere rem, sicut est forma, quæ formaliter, seu inhæsiue est in intellectu, sed quod iudicet, ita se habere, sicut est forma apprehensa per intellectum, & consequenter in actu exercito iudicet, ita se habere rem, sicut est forma, seu conceptus formaliter representans in intellectu: quia conceptus formalis, ut repræsentans tanquam vnum quid censetur cum re representata, & quia intellectus non comparat rem representatam nisi ut a se conceptam. Hoc ergo modo recte intelligitur, cur veritas dicatur specialiter esse in intellectu nostro cognoscente media compositione & diuisione: nam per simplices conceptus nullo modo cognoscit intellectus conformitatem, unde nec proprie affirmat, aut sentit veritatem, sicut facit, quando simplices conceptus componit. Unde, licet tam compositio, quam simplex apprehensio rerum, sit absolute cognitio directa, tamē, si compositionem ad simplicem apprehensionem comparemus, quodammodo est quasi reflexiua supra illam veluti in ipso exercitio: quia per compositionem fit collatio inter simplices conceptus, ratione cuius est veritas in illa, prædicto speciali modo.

Soluntur oppositæ rationes.

XX. **E**T per hæc patet responsio ad fundamenta prædictarum opinionum, quas non existimamus inter se contrarias, si recte intelligantur, ut exposuimus, & ipsimet authores reuera exponunt, ut aperte constat ex Diuo Thoma & Caietano, supra. Ferrar. vero, quia Caietano opponitur, vel eum & Diuum Thomam intelligere noluit, vel solum verbis diuersis rem eandem explicat. Fundamenta igitur veriusque opinionis, quatenus illas in vero sensu confirmant, admittenda sunt: declarandum vero superest quomodo in alio sensu eis non repugnent. Ad testimonia itaque Aristotelis priori loco adducta respondetur, ibi loqui Aristotelem de veritate existente in intellectu nostro ut cognoscente aliquo modo veritatem ipsam. Unde ad primam rationem respondetur, eadem proportionem esse de vocibus loquendum qua de conceptibus; nam in simplici & incomplexa voce est veritas signi tanquam in habente illam ad modum veritatis transcendentialis, seu in essendo: nam hæc vox, homo, & significat verum hominem, & potest dici verum signum hominis: tamen in voce simplici non est veritas tanquam in significante veritatem; quomodo est in enunciatione composita, quæ dum significat hoc esse illud, significat consequenter, & quasi in actu exercito, conformitatem, & veritatem, sicut de conceptibus explicatum est. Ad secundum, quod tangit materiam de falsitate, dicitur clarius disput. seq. Nunc respondetur, ex tribus membris ibi enumeratis illud esse eligendum, quo dicitur, simplices conceptus ita esse veros ut non sint proprie falsi, ut argumenta ibi facta satis probant. Neque vero necesse est, ut in omni subiecto ubi potest esse vnum oppositorum, possit etiam esse aliud. Præsertim, quia cum veritas alio modo sit in simplici apprehensione, quam in compositione, ea ratione fieri potest, ut ea veritas talis sit, quæ non habeat falsitatem oppositam. Cur autem hoc ita sit, & cur potius veritas compositionis possit habere propriam falsitatem oppositam, patebit ex dicendis. Quod autem in vltima confirmatione tangitur de specie intelligibili, declarabitur statim. Ad fundamenta secundæ sententiæ nihil addere oportet, solum enim probant, in simplici conceptione esse veritatem tanquam in habente, non tanquam in cognoscente.

Suar. Franc. Metaph. Tom. I.

Solum circa secundum oportet ex dictis notare, non esse eandem rationem de simplici cognitione Dei, aut angelorum: illi enim simplici conceptu perfecte iudicant de re, & quod ita se habeat, sicut cognoscitur, seu quod ei inhiat id, quod de ea iudicatur, & cognoscitur. Imo illud iudicium simplex tale est (præsertim si sit sermo de ieiunio) ut per illud perfectissime etiam cognoscatur omnis conformitas, quæ esse potest inter ipsum, & rem cognitam; & ideo non est simile de illa simplici cognitione.

SECTIO IV.

An veritas cognitionis seu intellectus in eo non sit, donec iudicet.



ANTE iudicium, intelligi possunt in intellectu, vis ipsa intelligendi, species intelligibilis, sub qua reliquos habitus comprehendendo, ipse actus cognitionis prout est in fieri, & apprehensio ipsa. Dubitari ergo potest primo, an hæc veritas dici possit esse in specie intelligibili, vel in actu, vel in conceptu, vel in habitu, aut ipsa vi intelligendi. Nam D. Tho. 1. cont. Gent. c. 59. ratione 1. in verbis supra citatis significat tantum esse in conceptu seu verbo mentis, ubi Ferr. ita illum intelligit, & addit non esse in actu intelligendi: quia non est imago, nec repræsentat obiectum. Unde infert, prius ordine naturæ esse veritatem in intellectu, quæ intellectus cognoscat rem per conceptum representatam, quia prius ordine naturæ actio intellectus terminatur ad conceptum, quam cognoscat rem in illo representatam. Quo sensu videtur dixisse D. Thom. q. 1. de verit. a. 1. cognitionem esse veritatis effectum. De specie vero intelligibili ait in illa esse veritatem quatenus illa etiam repræsentat obiectum, & secundum illam representationem, habet conformitatem cum illo, imperfecto tamen modo, quatenus representatio speciei imperfecta est, & quatenus habitus ad actum, ut imperfectum ad perfectum comparatur. De ipsa autem vi intelligendi, & habitu eius iudicatio & qui tenet se ex parte potentie, nihil dicit, tamen consequenter dicturus etiam esset, in eis non esse veritatem, quia non repræsentant obiectum.

Sed nobis supponendum est, hic solum esse sermonem de veritate cognitionis. Credimus autem cognitionem fieri formaliter per conceptum, seu verbum mentis ut informantem ipsum intellectum: conceptum autem seu verbum mentis in re ipsa non distingui ab actu intelligendi, quatenus est aliquid factum ab intellectu, seu qualitas in facto esse, intellectum vero, quatenus est actio in fieri, distingui modaliter a verbo sicut distingui solet actio, vel dependentia a termino. Cum ergo cognitio simpliciter significet actualem cognitionem, veritas cognitionis absolute ac simpliciter est in conceptu seu verbo, aut actu intelligendi in facto esse: quia hæc omnia idem sunt, & significant formam, qua intellectus sic actu cognoscens, ac si diceremus, veritatem calidi ut sic in calore esse. In actione autem intelligendi ut sic non est quidem veritas cognitionis, quia illa actio, non est cognitio simpliciter, sed via ad cognitionem, tamen eo modo, quo est, habet suam veritatem, sicut calefactio, quamuis veritatem caloris non habeat, habet tamen veritatem calefactionis, quia est vera tendentia ad calorem: sic enim actio intelligendi est etiam vera tendentia ad rei cognitionem. Et quamuis dicatur non repræsentare per modum formæ, repræsentat tamen per modum viæ: quia est tendentia ad veram representationem; veritas ergo cognitionis dici potest esse in fieri in actu intelligendi, ut actio est. In specie autem intelligibili non est veritas cognitionis, nisi tanquam in principio & actu primo,

Q 2

primo, est tamen in illa propria veritas entitativa, ratione cuius vera dicitur species intelligibilis talis obiecti. Ad quod nil refert, quod species intelligibilis repræsentet formaliter ut imago: quia quacunque ratione repræsentet, secundum eam habere potest suam veritatem per debitam commensurationem ad tale obiectum, sicut semen hominis non habet quidem in se veritatem humanæ naturæ, nisi virtualiter, seu instrumentaliter, habet tamē veritatem humani seminis secundum debitam proportionem & habitudinē ad talem naturam, vel actionem. Quod etiam fit, ut vis intelligendi, seu lumen intellectus, aut habitus illud perficiens, formaliter ac proprie non habeant per se veritatem cognitionis, de qua agimus, ut per se constat: habeant tamen suam accommodatam veritatē quæ radicaliter dici potest veritas cognitionis, quatenus lumen intellectuale eatenus verum est, quatenus de se inclinatur ad veram rei cognitionem, & idem est suo modo de habitu.

III.

Ex quo tandem intelligitur, falsum esse, quod dicebatur, prius natura esse veritatem in conceptu mentis, vel in intellectu per conceptum, quam intellectus actu intelligat: quia conceptus mentis seu verbum non prius natura est, quam in sit intellectui: non sit enim, nisi per reductionem de potentia eius, & ideo non fit in aliquo signo naturæ, in quo non uniat intellectui, ut possit intellectus per modum potentie actiue, & receptiue ad illius productionem concurrere: ergo nō prius natura verbum habet veritatem, quam illam formaliter communicet intellectui: ergo nec prius natura est in eo veritas, quā intellectus sit actu cognoscens. Patet vltima consequentia, quia non aliter constituitur intellectus actu cognoscens, nisi per informationem verbi seu conceptus. Est ergo veritas cognitionis primo ac per se in intellectu actu cognoscente per verbum, conceptum, seu actum in facto esse, tanquam per formam qua actu cognoscit. Vnde, quod D. Tho. dicto loco ait q. 1. de verit. artic. 1. *cognitionem esse quandam veritatis effectum*, intelligendum est, aut de veritate fundamentali, quæ est ipsum esse rei, à quo ut obiecto habet cognitio ut vera sit, vel de veritate conformitatis, quæ est per speciem intelligibilem, vel certe de effectu formali, quem verus conceptus menti tribuit.

De notitia apprehensiva.

IV.

Secundo dubitari potest, an veritas cognitionis sit in apprehensiva notitia, vel tantum in iudicativa. Et ratio dubitandi esse potest, quia simplex notitia tantum est apprehensiva, & tamen diximus in illa esse veritatem. Item in sensibus est veritas simplex, ut ex Aristotele supra diximus: & tamen in eis non est, nisi apprehensiva cognitio. Tandem in compositione apprehensiva, etiam si intellectus nesciat discernere & iudicare, sitne in illa veritas, an falsitas: nihilominus tamen alterutrum horum in tali apprehensione reuera inest: nam si propositio vocalis aut vera aut falsa necessario est, multo magis mentalis, etiam apprehensiva tantum. In contrarium autem est, quia intellectus non denominatur verus aut falsus, nisi quando iudicat. Quamvis enim ego apprehendam hanc propositionem, alia sunt paria, si dubito, & suspendo iudicium, nec falsus sum, nec verus: ergo signum est, in illa apprehensione nec veritatem esse, nec falsitatem, alioqui verum, vel falsum denominaret. Vnde ibi Aristoteles ait 6. Metaph. capite 2. *veritatem esse in mente, græce est vox, διάνοια*, quæ sententiam, seu intelligentiam significat.

V.

Respondetur, veritatem cognitionis proprie esse in iudicio, & quemlibet actum intellectus tantumdem huius veritatis participare, quantum de iudicio participat. Nam, si attentè res spectetur, intellectus

nihil vere cognoscit, donec iudicet: ergo nec potest esse verus, vel falsus in cognoscendo, donec iudicet: ergo veritas cognitionis esse non potest, nisi in iudicio. Antecedens manifestum esse in cognitione compositiva: quando enim intellectus apprehendit compositionem, & suspendit assensum, ideo est, quia ignorat, an reuera illa extrema ita coniuncta sint in re, sicut per compositionem apprehenduntur. Ut in dicto exemplo de apprehensione huius compositionis, alia sunt paria, quamvis intellectus cognoscat aliquo modo quid sint alia, & quis sit numerus par, ignorat tamen omnino, an illa duo in re coniuncta sint, & ideo, licet compositionem apprehendat, non iudicat: e contrario vero fieri non potest, ut intellectus componat prædicatum cum subiecto, actu cognoscendo eorum coniunctionem, quam in re habent, vel habere existimantur, quin iudicet, ita esse vel non esse. Quia, si totum hoc cognoscit, nihil est, quod iudicium addere possit. Igitur iudicium compositionis in cognitione illa consistit, quia cognoscitur prædicatum convenire subiecto, ratione cuius diximus supra cum D. Thome, veritatem esse in intellectu componente tanquam cognitum in cognoscente. Sic ergo veritas compositionis proprie solum est in notitia iudicativa.

Notitia autem simplex, quæ simplex apprehensio dici solet, in tantum est capax alicuius veritatis, in quantum cognitio est, & aliquam rationem iudicii participat. Nam, licet conceptio per simplices actus dici solet simplex apprehensio, quatenus potentia cognoscens format in se similitudinem rei, & quodammodo illam ad se trahit, & ut distinguatur à proprio iudicio, quod à nobis datur, cum rem vnam cum alia componimus, vel eas diuidimus: tamen quatenus illam apprehensio est aliqua rei cognitio, est etiam aliquale iudicium, quod implicite iudicatur res id esse, quod de illa cognoscimus. Et hoc modo in tali apprehensione, vel simplici cognitione rei includitur aliquo modo iudicium: quia, cum illa apprehensio sit actus potentie cognoscitiue, necessario debet per illam aliquid cognosci: quod autem cognoscitur, ea ratione iudicatur: nam, quod iudicari non potest, ignoratur.

Quocirca ad priores rationes dubitandi respondetur in simplici apprehensione intellectus esse aliquale iudicium, licet imperfectum, & secundum illud esse in eo actu veritatem cognitionis. Et idem est dicendum proportionē seruata de cognitione sensus, quando enim ovis concipit lupum & fugit, quamvis simplicem tantum actum habeat, tamen vere cognoscit illum ut inimicum, & ita iudicat, quamvis imperfecto modo: & visus, dum cognoscit hoc album, aliquo etiam modo iudicat, hoc esse album. Quod si inter dum intellectus vel imaginatio videntur aliquid simpliciter apprehendere, nihil omnino iudicando, ut quando tingitur mons aureus, aut Chymera, vel quid simile, tunc non apprehenditur aliquid ut vera res, sed vel ut possibilis, saltem quoad illam figuram, sub qua apprehenditur: vel ut imaginabilis, seu significabilis per vocem: quo modo dicunt aliqui, tunc magis apprehendi significationem vocis, quam rem aliquam. Vnde tunc solum cognoscitur, ut id, quod confurgeret, si hæ vel illæ partes coniungerentur, & ita hoc ipsum aliquo modo iudicatur, & eodem modo est aliqua veritas simplex in huiusmodi apprehensione: quia reuera illud obiectum tale apprehenditur, vel cognoscitur, quale confurgeret, si partes illæ in re copularentur.

Vnde ad aliam partem de compositione apprehensiva respondetur, in primis, huiusmodi compositiones mentales, quæ sunt absque iudicio, regulariter fieri per conceptus vocum potius, quam rerum: quia cum in re ipsa non cognoscatur coniunctio prædicati cum subiecto, non etiam apprehenditur

henditur secundum rem, sed secundum vocem; seu copulam significantem talem unionem. Quod si ita est, tunc illa compositio apprehensiva est in mente, ut vocant, non ultimata, & in ea est veritas vel falsitas, non ut in cognitione, sed ut in signo tantum ad placitum, sicut est in voce, vel in scriptura. Deinde dicitur, si hac apprehensio non iudicativa; aliquo modo esse dicitur in conceptu compositio ipsarum rerum, vel id solum esse, quatenus per illum aliquid concipitur, & aliud ignoratur: vel apprehendi tantum in ordine ad significationem vocis. Prior modus erit, si concipiamus alia ut paria, & cognosciam hoc esse possibile, & ignorem an ita sit. Et tunc quoad illud, quod cognoscitur, cognitio est, non tantum apprehensiva, sed etiam iudicativa, & consequenter aut vera, aut falsa, quoad aliud vero, sicut non est iudicativa cognitio, ita neque vera neque falsa. Imo neque est apprehensiva per modum compositionis intellectus affirmantis, vel negantis, sed per modum cuiusdam simplicis apprehensionis illius possibilis enunciat, de quo dubitatur, an ita sit nec ne. Nam si hoc non cognoscitur per talem conceptum, scilicet hoc esse possibile, non video, quid ibi apprehendi possit per veram compositionem, quæ includat copulam de inesse: ergo tantum apprehendi potest per modum questionis, an hoc ita sit, vel non sit, & tunc non est necesse ut ibi sit aliqua veritas, vel falsitas. Posterior modus erit si extrema illius compositionis, vel compositio in se tantum apprehendatur, quatenus est quid significatum hac voce: verbi gratia, alia sunt paria, & tunc etiam intellectus non apprehendit aliquid affirmando vel negando, sed quasi simpliciter apprehendendo hoc tanquam significatum illius vocis, siue in re ita sit, siue non sit, & quoad illud primum involuitur ibi aliqua cognitio, & consequenter aliquid veritatis simplicis. Sic ergo omnis veritas, cognitionis eo modo quo est, in iudicio existit.

SECTIO V.

An veritas cognitionis sit tantum in intellectu speculativo, vel etiam in practico.

Ratio dubitandi sumi potest ex quadam vulgari doctrina indicata à D. Thom. 1. part. questione 16. artic. 1. & aliis locis, quod veritas dicit conformitatem cognitionis ad rem cognitam tanquam mensurati ad mensuram, iuxta illud Aristotel. Ex eo quodres est, vel non est, propositio vera vel falsa est. Hinc ergo sequi videtur, in sola speculativa scientia, esse proprie veritatem, quia sola scientia speculativa mensuratur ex obiecto suo, nam scientia practica potius est mensura sui obiecti, ideo enim res arte facta vera est, quia est conformis arti. Rationem autem tetigit Divus Thomas illo loco, quia res intellecta duplicem potest habere ordinem ad intellectum; per se scilicet, & per accidens, per se habet ordinem ad intellectum à quo non pendet, per accidens ad intellectum à quo non pendet, sed cognoscitur tantum. Priori modo pendet effectus artis ab arte, & res creata à Deo, & ideo non sunt res mensuræ cognitionis, seu potius e contrario: ergo in tali cognitione non est veritas, sed potius in rebus, quatenus illi commensurantur. Posteriori autem modo comparantur res ad scientiam speculativam, & ideo in hac cognitione erit tantum veritas quatenus commensuratur rei cognitæ. In contrarium autem est, quia etiam in cognitionibus & iudiciis practicis est veritas vel falsitas: quis enim neget, in compositione & divisione, quæ fit in rebus practicis, non solum moralibus & agibilibus, sed etiam in factibilibus esse propriissimam veritatem, & falsitatem? aut quomodo possent scire?

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

entia practica esse vera scientia, si non esset in eis veritas? habent ergo non solum veritatem, sed etiam sua principia per se nota, & conclusiones evidenter veras. Item, si non de veritate complexa, sed de incomplexa loquamur, etiam idea artificis, si sit propria & adæquata rei efficiendæ per artem, est maxime vera, tantoque magis, quanto non solum ipsa vera est, sed etiam est causa veritatis artificij. Denique in scientia, quam Deus habet de creaturis, est perfectissima veritas, quamvis sit etiam mensura creaturarum.

Dicendum itaque est, veritatem non solum esse in intellectu speculativo, sed etiam in practico, quatenus in eo est rerum agendarum, seu efficiendarum cognitio, ut posteriora argumenta probant, & docet Aristotel. 6. Ethicor. capite secundo; & est res per se satis nota. Ad rationem vero in contrarium dupliciter responderi potest, primo negando veritatem dicere semper & in rigore relationem mensurati ad mensuram, alioqui non posset dici Deus verus, quia mensuratus non est, etiam per propriam scientiam: videtur ergo sufficere quælibet relatio conformitatis, siue illa sit mensurati ad mensuram, siue à contrario mensuræ ad mensuratum. Sed hæc responsio non videtur esse conformis communi modo sentiendi & loquendi de veritate: omnes enim censent, veritatem cognitionis esse in intellectu, quatenus conformatur rei intellectæ; & consequenter esse relationem mensurati, aut se habere ad modum eius.

Respondetur ergo secundo cognitionem practicam dupliciter posse comparari ad obiectum, uno modo in ratione cognitionis, alio modo, in ratione causæ, aut efficientis, aut exemplaris, ut est idea artificis. Et hoc quidem posteriori modo cognitio practica sicut est causa, ita est mensura sui obiecti, ut habet rationem effectus ipsius; & ideo ut sic non denominatur proprie vera, sed efficax vel sufficiens ad causandum effectum in suo genere: priori autem modo cognitio practica est vera: unde sub ea ratione comparatur ad obiectum suum, ut mensuratum ad mensuram: quia sub ea consideratione practica non est causa illius, sed mera cognitio, quæ ut sic, solum est representatio intentionalis obiecti, & ideo veritatem habet quatenus illi commensuratur. Quod in hunc etiam modum declarari potest, nam scientia ut scientia, etiam si practica sit abstrahit ab existentia obiecti, & vera est, etiam si nihil efficiat seu causet: si ergo scientia practica ad obiectum secundum se & ut abstrahit ab existentia comparatur, sic non est mensura eius: quia non est causa illius, ut sic: ergo talis scientia mensuratur potius ab obiecto secundum suam rationem & essentiam considerando, & per conformitatem ad illud habet suam veritatem. Quod tam in artificialibus, quam in moralibus facile suaderi potest: nam scientia seu ars ædificandi, ideo dicitur domum esse in hac proportionem, figura, &c. construendam, quia perfectio domus secundum se & quasi natura sua id postulat, considerato siue ad quem ordinatur, & proprietatibus, quas requirit, ut verbi gratia, quod sit utilis, fortis, pulchra. Et Dialectica, quatenus practicas scientias imitatur, ideo dicitur syllogismum esse in tali modo & figura construendum, quia natura syllogismi hoc postulat. Igitur secundum se, & abstrahendo ab existentia, non ideo res arte facta talis construenda est, quia scientia, vel ars hoc dicit, sed potius ideo scientia vel ars hoc dicit, talemque ideam proponit talis artificij, quia ipsum ex se postulat talem perfectionem in ordine ad suum finem. Idem videre licet in moralibus; nam medium temperantiæ, verbi gratia, non ideo in tali re consistit, quia moralis Philosophia vel prudentia illud dicit; sed è contrario potius, ideo moralis scientia illud dicit, quia illud in se tale est, talemque proportionem requirit. Et ideo dixi in prima secun-

II.

III.

Q 3

dx.ve-